QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, die Iouis, XXII. Decembris,

M. GABRIELE BIARD, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An Imbecillitati Ventriculi quævis roborantia?



MBECILLVS Ventriculus cibos, quos suo excepit sinu, aut pravè, aut ægrè, aut omnino non coquit; vt succus is, quo corpus vniversum alitur, vel corrumpatur, vel tempore multo conficiatur, vel prorsus non atterantur cibi: quodvis horum contigerit, nutritionis ratio pervertitur: cibi verò in Ventriculo atteruntur-ne? an coquuntur calore quem ille multum habet?

ATONIA adest, & Imbecillitatis summa sunt omnia, cùm cibi integri, nihil quicquam immutati egeruntur: is affectus Lienteriáne rectè dicitur? difficilis coctionis nota est certissima frequens ructus acidus: an ille quandoque est caloris effectus? produnt coctionis vitium, quæ viridi, atrove colore redduntur vomitu. Atonia verò morbúsne est, an symptoma?

INTEMPERATVS Ventriculus imbecilliùs coquit, vt ea demum ciborum concoctionem juvent, & imbecillum Ventriculum roborent, quæ emendant intemperiem Imbecillitatis causam: illa multiplex; cuique suum & accommodatum est remedium, illudque adversum, quo ipsa depellitur, vnáque amissæ Ventriculi vires revocantur. Difficiliùs evincitur Imbecillitas, quæ à sicca enascitur intemperie: ejus verò quæ à calida exoritur, non adeo tuta curatio: An etiam qui laxiore est substantiâ Ventriculus imbecillior?

VENTRICVLI Imbecillitas sui abigendæ nullam præ se fert rationem: nudum est prorsus, & inane nomen: vt qui eam curandam susci-

piunt, vmbram dumtaxat, & imaginem curationis confectentur. Νήπιοι & Medicæ artis planè rudes, qui Ventriculo imbecillis, diſcrimine & delectu nullo, vinum rubrum, auſterum, mala cydonia, punica, maſtichen, myrobalanos, cinnamomum, coriandri ſemen, caryophyllum comparare ſatagunt; quæ ſæpius adeo nocent, vt atoniam Ventriculi promoveant.

FRIGIDIOREM Ventriculum, eúmque imbecillum temperant & roborant, quæ excalfaciunt; vinum vetus, generoſum, meracius, aromatica omnia quavis arte parata: eundem æſtu languentem firmant & recreant, quæ refrigerare valent; lactuca, cichoracea omnia, ceraſa, cæterique fructus, quibus refrigerandi vis ineſt, ſerum lactis defæcatum, lac recèns preſſum, ipſaque Neronis decocta: exſiccatum ſublevant, quæ humectant, fotus, epithemata, balnea, elixarum carnium eſus, earumdem juſcula: humidiori conferunt Ventriculo, quæ exſiccant & adſtringunt: ea ipſa laxiorem Ventriculi conſiſtentiam reddunt compactiorem: qui intemperiem & laxitatem fovet humor, catharſi ei analogâ, & accommodatâ exigendus: fervor ſi adfuerit, compeſcendus ſanguinis miſſione; vt remedia, quæ Ventriculum roborare valent, definiat Imbecillitatis cauſa.

Ergo Imbecillitati Ventriculi non quævis roborantia.

Proponebat Lutetiæ IOANNES PIETRE, Pariſinus,
Anno R. S. H. M. DC. XXXIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus le Conte.	*M. Guillelmus Guerin.*	*M. Franciſcus Leſpicier.*
M. Mathurinus Alton.	*M. Lancelotus de Frades.*	*M. Georgius Cornuti.*
M. Franciſcus Blondel.	*M. Iacobus Mentel.*	*M. Guillelmus DuVal, P. R.*

cette these est la 793e du tome V in folio.—